



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 89. Michael a Turre Valsasina mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

**Sæcul. XVI
A. C. 1586.**

dem agitur de Episcopatum cessionibus, exactiōibus ex redditibus Ecclesiasticis, aliisque ejusdem generis rebus: porro Præses hanc Curiam ad suum convocat Palatium, quando aliqua cauſa ad hos Judices rejicitur. Ceterum Cardinales Nepotes, qui hodiendum rerum summa potiuntur, ex hisce cauſis nonnisi admodum paucas ad hoc tribunal devolvunt.

§. LXXXIX.

Michael a Turre Valsafina mortuus.

Ciac. vit.

Pon. tom. 4.

pag. 76.

Gabut. vit.

Pii V.

Ughel. Ital.

Sacra.

Hoc etiam anno sacrum Purpuratum Collegium quinque de suis Sociis mortuos plangebat, quos inter primus erat Michael de Turre Vallis. Assinæ, seu Valsafinus Comes Utinæ in Foro- Julio ex illustrissima Valsafinorum Comitum familia natus, Parentesque habuit Ludovicum de Turre Comitem, & Thaddæam Strasoldiam porro Michael utriusque Signaturæ, ut vocant, Referendarius, perpetuusque Cenetensis Ecclesiæ in Venetæ Reipublicæ imperio Administrator nominabatur, demum vero hujus Sedis Episcopus electus, a Paulo III. Nuntius in Franciam ad Henricum II. decernebatur, qua etiam legatione sub Julio III. fungebatur: inde autem redux Umbriæ Præfectus evasit, ac sub Pio

Pio V. rursus in Gallias ad Carolum IX. **Sæcul. XVI.**
 missus in itinere Taurinum pervenit, **A.C. 1586.**
 ubi summi Pontificis nomine Carolum
 Emanuelem Sabaudiæ Ducis Filium e
 sacro fonte suscepit. Denique ob præ-
 clara obsequia sacræ Sedi sub pluribus
 Pontificibus præstata a Gregorio XIII.,
 qui septima vice Cardinales creaverat,
 anno Salutis nostræ millesimo quingen-
 tesimo octogesimo tertio Romana pur-
 pura decoratus est, anno autem Do-
 mini millesimo quingentesimo octogesi-
 mo sexto septuaginta quinque annos
 natus die decima nona Februarii obiit,
 equidem Cenatenses cives ejus Ne-
 potem in Urbis suæ Episcopum a
 Sixto V. nominari petebant: ast hic
 idem Pontifex præfatam Sedem Anto-
 nio Mocenigo adjudicabat, defuncti-
 que Cardinalis Nepoti in Patavina Ec-
 clesia Canonicatum impertiebatur: in-
 super eidem Civitatís - Castellanæ,
 quæ ditionis Ecclesiasticæ urbs in Etru-
 ria sita olim Vejensis civitas fuisse cre-
 ditur, Ecclesiam Episcopalem admini-
 strandam commisit.

§. XC.

Boncompagni Cardinalis mors.

Alter ex Cardinalibus hoc anno de- **Ciac. t. 4:**
 functis erat Philippus Boncompag- **pag. 45.**
nus Gregorii Papæ Nepos, qui ab eo- **Aubery vie**
 dem **des Card.**